

genuerint; fillis etenim et filiabus, sic volente et ad majora disponente Deo, pro lacte timorem Domini nutrimentum indiderunt, ut rerum probavit eventus: primi quippe in sortem Domini omnes cooptati, sacerdotum munere ita fungi visi sunt, ut in Christo odorem spargentes, exempla virtutum sectanda posteris reliquerint: aliqui eorum ad præcipuas hujus Cathedralis dignitates provecti, parili presbyteratu, parili virtute, et fraterna societate Petro conjuncti, de Ecclesia benemeriti, et pro ea maximis exantlatis laboribus, in pace sanctam vitam fine sancto finierunt: feminae vero pæne omnes actate florente et in ipso juventutis limine constitutæ, alacres mundo valedicere decrevere, virginitatis flos ab ipsis Deo oblatas, cœlesti sponso nuptui se tradiderunt, ut Agnum quocumque ierit sequerentur, et medio in viridario Christi lilia a Domino plantata, bene olentes auras reddiderunt munia inter moniales eximia, tam ea quæ vita functa, quam quæ superstes exstat obivere.

Sed ad Petrum redeamus. Qui quondam de Isaac filiis Tu observantissimus æqui, Jacob dilexisti, Essau autem odio habuisti, cum talibus ac tantis fratres Petri et sorores donis cumulasses, averte Te ab illo faciem turbabitur, et de via veritatis, de bono et a sanctitate deficiet? minime gentium. Petro enim servata sunt charismata meliora: qui de solo et ex terra unde creatus est Adam omnes homines quasi lutum figuli in manu ipsius

plasmare illud et disponere, fecit; quorum via in multitudine disciplinæ ab eo mutata; ex quibus dum alios benedicit et exultat, alios maledicit et humiliat," Petrum ad se applicavit, magnis muneribus exornavit, ut super muros Ecclesiæ pastor staret, gradum super munitionem figens, ad quid ei dicatur intentus, et ad quid respondeat ad arguentem se.

En quo, edicente Numine, Petro erat pergendum: quando vero minutissimis quæ condidit prospicit Deus, quando verni gemmas et æstatis fructus, eo volente maturat autumnus, de Episcopatu Petro orando, cum hoc velit, non providebit et Deus? Ita non fiet. Episcopi non tam honoris quam oneris nomen esse à majoribus accepimus: episcopale munus obibit qui sanctus ut sibi, qui doctrina et sermone fuerit eruditus ut cæteris prosit. Petrus sanctitate, Petrus mira eruditione et doctrina pollebit.

Petrus a parentibus ab infantia Deum timere, et se abstinere ab omni peccato edoctus, et primis rudimentis quibus pueritia informari solet instructus, ad Guadalaxarense Seminarium tam sua, quam parentum voluntate se contulit. Anceps est utrum illustrius fecerit Petrus Seminarium, hocce vero Petrum illustriorem: inibi grammaticæ primum, dein philosophiæ, Theologiæ, Sacris Litteris demum operam dedit. Quid vobis referam solertiam ingenii ad rimandum, assiduitatem ad ediscendum, dexteri-

tatem ad explanandum, quæ omnia in Petro sic emicuerunt? Testantur hoc litterarum munia quibus fungi visus est; testantur et graviorum judicia virorum, de quibus monumenta exstant qui magistri, Antistitis quem lugemus apprime noverunt quali ac quanta doctrina et eruditione comparata fuerit Petrus instructus.

Quid autem prodest, aut quo collineat nisi ad malesuadam superbia mentem, scientia quæ inflat, sine charitate quæ ædificat? Hoc noveras; hujus veritatis bene conscius cum adhuc junior esses Petre, priusquam oberrares quæsivisti veram sapientiam: palam in oratione tua ante templum postulabas pro illa; et tanquam precox uva in te effloruit: semper rectus, semper tui morum et honestatis, rigidissimus custos: lætatum est in ea cor tuum: pedibus iter rectum fecisti, quoniam a juventute sedulo eam investigasti. Hæc fuerunt verni tuæ ætatis temporis erumpentes gemmæ. Sed pergamus ad reliqua.

Vix dum licuit per sacrorum canonum sanctiones, quamvis tremens, ac se indignum altissimo sacerdotii honore reputans, sed Dei voluntati obtemperans, sacris altaribus sese mancipavit Petrus; non quod iste Deum elegerit; sed a Deo electus ut fructum afferret; isteque maneret: communis hæc erat opinio, quam non fefellit eventus. Vultis de re hæc me testimonia proferre? Testes vos appello, Clericorum ac Tridentinum Seminaria, dum illic cleri-

catus condidatis, hic autem magisterio præfectus multa atque præclara dedit doctrinæ ac pietatis exempla. Testes vos appello, Excelentissimi ac Illustrissimi Joannis de Cabañas et Crespo episcopalia tecta, dum tanti Praesulis capellanus extitit Petrus. Testes vos appello, templum et puellarum secessum Sancto sacra Didaco: vos ampliis donariis locupletavit, Dei cultum, et rectam juvenum institutionem promovens in hoc et illo suæ curæ commisso.

Tanti, cum adhuc neopresbyter esset Petrus, et postmodum, ejus sapientiam, dexteritatem, prudentiam, probitatem, caeterasque quæ in eo reperiuntur sunt dotes magni nominis Praesules Joannes de Cabañas et Michael Gordo fecere, ut ab illo Promotor Fidei fuerit Petrus renuntiatus, et ipsius Joannis delegatione fungendo, sacram et episcopalem visitationem peregit in aliquibus hujus dioceseos parochiis; et Illustrissimi Michaelis jussu domum ad disciplinam et institutionem feminarum in urbana parochia de Sta. Maria de Guadalupe sitam, etiam eodem modo visitaverit, eandemque sanctissimis legibus communiverit.

Eodem ferme tempore, ab hispanico regimine jam mexicanæ plagæ emancipatae, quidam apparuerunt, utinam non, quorum mens laeva dum veram sapientiam neglexit, misero et nunquam satis deplorando omine, liberos esse ab Hispaniæ dominio nescivit, quin fidem simul et disciplinam carea

Christi Sponsae labefactari conaretur: hac illac serpit impietatis venenum: aperto ore et prelo quidquid honorabile ac sanctissimum est, ab impiorum telis impetitur. In tanto discrimine, quid agis o Petre? Christianus miles in procinctu ades: una cum sociis de Ecclesia promeritis pro aris et focis certabis: gravi calamo impietatis ori silentium indes: ab hostibus victor redes, in praelio triumphans.

Haec cum ita essent, cum tali ac tanta luce fulgeret Petrus, almae hujus Cathedralis Ecclesiae Venerabile Capitulum, aut potius dicam, coetus amplissimorum virorum qui extiterunt nostras decus et ornamentum, certatim contendit, eorum quibus a conciliis erat aemulator, ut Petrum sibi adscisceret, quod et fecit; etenim certamine litteris inito, et cum Petrus quod in eo sibi munus obtigit rite explevisset, omnium plausu ac gratulatione Theologiae canonicatu potitus est, hac de re consentiente et approbante Capitulo.

Nimum sese protenderet oratio quae specimina virtutis ac sapientiae quae dedit Illustrissimus Petrus dum extitit capitularis Guadalaxarae Ecclesiae, summatim narrare, aut saltem attingere intenderet: pro me vocem extollite, parietes quae circum non cingitis, altaria quae in conspectu apparentis, sacra suppellectilia divino mancipata cultui: vos Petrus ornavit, decoravit, praetiosiora vos reddidit. Justi ac recti tenax administrationi praestationum decemalium curae praepositus, qua dexteritate, quam

provide et sollicite gestationem earundem praestationum Petrus absolvit. Quomodo eruditione et doctrina percallens, tibi fuit salebrosa via incedere abstrusa et impervia multoties extricare et expedire, cum Capitulum in arduis ac momentosis qualis esset tua sententia requireret?

Haec intra Capitulum; extra vero quid? Non Rector, sed pater Seminario Tridentino hujus civitatis Illmus. Michael Gordoia eo amantissimus extitit, ut quamvis mitrato honore et pastoralis cura distentus, amore juventutis scientiarum studio dicatae sic erat constrictus, ut modo cum jam jam moriturus ab ea illi sese erat divellendum, gubernationem et regimen proximum ejusdem studiorum domus ab se ablegaverit: nihil vero animo fluctuans onus et honor sibi apprime charus, ab eodem, Petro est impositus. Zeli igitur domus Dei et proximorum salutis satagens, eximia prudentia, qua opus quidem est, callentae juvenum indoli regendae munus sibi impositum et suscepit et obivit. Si Petrus antehac virus impietatis ubi novit illico illud palam fecit et propulsavit, quomodo sese temperabit ab arcendo juvenes scientiarum ecclesiasticarum studio deditos, ab infectis et impuris fontibus errorum haereticorum, et doctrinae ab Ecclesiae sensu prorsus alienae? Quae omnia hypocrisis janseniana larva induta zeli pro sacris antiquis tuendis, ast verae fidei hostis, nitebatur ubique diffundere, et juventae praesertim propinari. Petrus vero pru-

dens, juxta evangelica dicta, serpentis aemulator, inimico Christi sese objicit, versutias in juvenes tentatas discutit et detegit. Quibus ante vos laudibus offeram quae sapientia, pietate, eruditione conspersa scripsit ille, quem nunc in tumulo videtis, in dogmaticam constitutionem *Auctorem Fidei* qua semper memorandus SSmus. Pius VI damnaverat famosam, tristi utique fama, Pistoriensem Synodum, vel potius sentinam tot foedissimis quot propositiones continet erroribus refertam, quibus inimicus homo zizania in agro Domini ausus fuerat inserere? Verum ab angustiis temporis cogor ad majora orationem properare.

Michaeli magno, omnium fletu e vivis sublato, suffectus est Didacus ille vir rectus atque praeclarus, qui mire rexit hanc Guadalaxarensis Ecclesiam, et multa magnalia in ea fecit: decessorum Joannis et Michaelis vestigiis inhaerens, Petro multa dedit pignora ejus utique aestimationis, qua erga Petrum, propter res gestas erat affectus. Quomodo, nisi prolixior quam me oportet esse, vobis pandam quae Petrus, de voluntate ac jussu Didaci pro Ecclesia egerit? Quae opuscula prelo data scripserit? Quas responsiones? ut quod irretitum erat, evolutionem et explicationem acciperet; ut quod congruum foret, opere completeretur; ut quod sanctum, illibatum et intemeratum maneret; ut a fide fideles non deviarent; ut Romanae Apostolicae Sedi patesceret qualis foret sensus hujus Ecclesiae

de conceptu sine labe, qua propago protoplasti parentis foedata et infecta fuerat, ejus quam Matrem Christi fecit et Deus; ut.... Sed cum haec omnia narrare non possit, ad majora propendat oratio.

Multis propter dioecesis amplitudinem, et negotiorum gravitatem, et propter pastorem visitationem perendam presse Didacus Praesul detentus, in partem regiminis spiritualis sibi Petrum adscivit, eum non semel constituendo officialem, ut ejus opera sibi esset in levamen. Dum Didacus solertia eximius et cujuscumque meriti peritissimus ad hoc Petrum elegit, quis ad trutinam revocaverit utrum Petrus dignus esset qui humeris suis onus pastorale sustineret? Jam ergo licuit quod postea eveniret augurari, omenque confirmavit eventus: etenim Didacus bono certamine confecto, cursu consummato, fide servata, e terris, ut in coelo corona justitiae tempora cingeret, a Supremo Pastorum vocatus, praetiosa morte abdormivit in Domino. Capitulum aemulus demortui Praesulis, Vicarium Capitulum Petrum designavit et constituit; ut pro illo sedem tanto Pastore orbatam gubernaret et regeret.

Jam aestas Petri fructibus onusta loco cedit autumno: jam ponti freta navis quae de obitu Didaci nuntium ferebat, mare tranaverat: jam ad Maximum Pontificem qui adhuc gubernacula Ecclesiae inclutus tenet, quae hinc ad Apostolicam Sedem, a Guadalaxarensi Capitulo de eodem obitu missae